catholicam ecclesiam esse tacite subinnuebat et indigitabat. Post haec commemorata ipsi instituebatur quaestio de Baptismo: utrum eum purgationem animarum esse crederet, et spiritualium sordium, atque adeo lavacrum remissionis peccatorum? Hic iterum simili arte et pronte responsionem congruam et honorifice de Baptismo sentientes dedit, voce baptismatis interim (prout omnia miscebat et confundebat) Dominum nostrum Jesum Christum subdole celans; quandoquidem scriptum sit eum esse aquam vivam. Ita igitur, ita inquam monstrum hoc dolosum et maleficum, cum nihil apostolicae et catholicae ecclesiae conforme sentiret, quin potius omnia contraria foveret, sectaretur et extolleret; quandoquidem viris tunc praesentibus minime cum doctrina Ecclesiae pugnare verbis judicabatur, (sub quibus tamen lethiferum virus suae impietatis occultabat) omni, ut ab initio, culpa haereseos neutiquam teneri, sed Ecclesiae potius mente adhaerere videbatur. Ita ab ecclesiastica inquisitione impunitus dimittitur qui duplicem poenam promeritus erat: paternae nempe impietatis et suae imposturae; per quas judicium sanum judicium pervertat et gloriam pietatis utut improbissimus, circumferebat. Hic vero suis his artibus omni judicio solutus, postulat et accipit ab Imperatore scriptum testimonium: in quo ipsi de securitate cavebatur, peragendi in patria res suas et quae placeret, sine damno, et accusatoribus nocibus expediendi. Discedens itaque ab Augusta et Episparin perveniens congregat suae sectae discipulos et inde Chananalin ex qua ante memoratus Constantinus oriundus erat, cum iis qui ipsum comitabantur se transfert.

Generaliter testimonio ab Imperatore dato, Episparin et Chananalin se confert.

11.83.